



~~Att.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11-52.

SIGNAT. 1590 CCCXIII.

1. Simplicii, Ioh. Theodori, Palladius sanctae religionis Catholicae, Apostolico Hungariae regno consecratus. Tyrnavi, 1670.
2. Religious Difficiles, Ioh. Theodori Simpliciani und Bottius Christiani, ad Galiaq. ait. in Rupt. nra. Emano, 1677.
3. Kleschü, M. Danielij, Inaugurationis templi, quod Sigismundus Tokoly in castro Scharnik extruxit, Historica descriptio, Dartphae, 1670.
4. Jakobea. M. Jakuta, Pascha lachrymorum, inclutae orbi Epierii ominosum. ro Leroocci, 1643.
5. Altare pacis, pro votis Hungariorum erectum, Atrae Petri Galileorum Luc. Et III. i. habituendam, ff. Tyrnavi, 1721.
6. Querela Hungariae. tit. dissimil. aliquo nebula accessu agit.
7. Kleschü, M. Dad. Catalogus Presbyterorum Scipionianorum, Dartph. 1669.
8. Eindein, idem.
9. Jacobaei, M. Jacobi, Idea mutationum Bohemo-Catholicarum ecclesiatarum, in floridissimo regno Bohemiae. Amsterdam, 1624.
10. Sin Offenbarung und Grief, dat geprofet ab Sigismundo zu Freiburg auf den Ostant ober, in der Grosshoring Landt und Hongarij, und Anfolgung der Offenbarung. 1527.
11. Culeti, Sebenim, Topographie, seu admonitio brevis ad Christianorum regni Hungariae civit. de reuivenda veteri doctrina in dageff. Prof. Cypriano, Dartphal, 1599.
12. Böhm, M. Merkini, Dissert. Historica III. De Syncretismo eiusq. promachis. Rep. Cia Sartorio, Thoracii.
13. Matthalidis, Samuelis, Praef. Io. Fr. Mayer, Roma et Genera Hungariae irreconitabilit, adu. Samuela Nigrini. Grypisswald. 1708. rausa, 1713.

14. Kurzerae, Joh. Disquisitio Historico-Theologica, quae hodiernam Romanec ecclesiam horrendam idololatriacal conunit, Leipzigiae 1643.
15. Jacobaea, M. Satuba, Mečná a revmigracy pamět založení, Doua Božího rožmberské, 1642. rožmberské.
16. Cis den Elegidion epovikio-onomasticon, de quadruplici visitatione diuinitutis facta, inclusae vrbis Episcopie, in fundatione templi Contra ratum 1642.
17. Acta et conclusiones Conventus seu Synodi, ceterorum inde regni Hung. Baronum, Magnatuum et Nobilium, nec non legatorum et ministrorum stud. Conf. ex decen. Q. Daniellus Brandenburgicus Coloniae congregatorum 1610. diebus 28. 29. 30. Martii. Solnae 1708.
18. Acta et Conclusiones Synodi Augustano Evangelicorum, Rosenthalae 1707. celebratae.
19. Macsi patrum filiorumque Hispania et vota, quibus Joh. Duximus, Plonifolius evocatum, prosequitur. Cassov. 1667.
20. Programma de fatali bonatum artium contento, Coloniae Brandenburgicae.
21. Rerum publicarum Scholarum querelae in Scholas privatas et publicas. Ibidem.
22. Hesbini; M. Joh. Horae Teutico-Catecheticae. Gedan. 1675.
23. Mittwochii, M. Jo. Gab. Disput. Historica, de Capite illius, vulgo, die Apfelmittwoch, Lips. 1693.
- Acta Synodi Szepesvaralya 1614. celebratae.


24 u.

f. III, 462^b

JUSTÆ
PUBLICARUM
SCHOLARUM
QUERELÆ
IN
SCHOLAS PRIVATAS
EFFUSÆ.

Coloniæ Brandenburgicæ,
Imprimebat ULRICUS LIEPERTUS, Reg. Typogr.

1670
CITADELLA
IN
MOLTO
GRAN
PERICOLO
E
SALVATRICE
DE
LA
CITTADELLA
IN
MOLTO
GRAN
PERICOLO
E
SALVATRICE



Heu miseram hâc ætate sortem nostram! Heu perniciosissimum nostri contemptum! Heu iniquam desolationem! Cùm multis modis, ætas Parentum atque Majorum nostrorum, Institutionem Juventutis publicam † prætulerit privatæ, nunc sapientior scilicet Posteritas privatam ubique vult præferre publicæ. Non jam pensi amplius habetur prisca in clarissimis Civitatibus eaque eminentissima quondam Legislatorum † Autoritas. Non jam consideratur Præceptorum & Magistrorum publicis* lectorum & vocatorum suffragiis Præstantia, præ aliis surreptitiis in umbram & solitudinem privatam Pædagogis. Non jam intelligitur, per Congressus à teneris unguiculis publicos, ipsis

A 2

quo-

† Vid. M. Jacobi Martini Quæst. Illustr. Philos. Cent. V. Disp. V. Quæst. VIII.

Item, Cent. VII. Disp. V. Quæst. X. Vid. Wolfgangi Heideri Philosoph. Politic. p. 173. seqq. Conf. Guilielmi Mechovii Hermathene Tractat. I. c. 3. §. 6. p. 38.

‡ Charondas, Legislator, Liberos Civium omnes, in ipso Ludo, & primis literarum rudimentis, instituendos tradi, conductis ad id mercede & ære publico Præceptoribus, lege jussit. Vide, (ex Diodori Siculi Biblioth. lib. 12. p. m. 279.) Camerar. Hor. Subiç. Cent. III. cap. 47. p. 168.

* Publica disciplina, in sapientia & consensu totius Civitatis fundata, firmorem habet constantiam, quam ab unius quæ judicio pendet. Vid. Christoph. Besoldi J.C. Discursus Politici singulares de Informatione & Coactione subditorum, Disputat. I. cap. 4. p. 14.

quoque brutis animalibus naturales, commodior ad Rempū-
blicam & Societatem civilem Præparatio. Cumque alias de
contrahendis sumptibus in hac temporum afflictissimorum
injuria quisque ferè solicitus sit, nemo tamen cogitat, minoribus longe sumptibus filios nostra frequentare limina
publica, quām in privatis delitescere Pædevteriis. Sit enim
vero etiam privata Institutio optima, ita, ut dubiam publicæ
facere possit palmam, quod tamen rarissimum, &c, si dicere
liceat, vix credibile: hīc enim, ut alia taceant, Præceptores
publicā electi & vocati docent Auctoritate, quorum Vocatio
legitima æquē & necessaria est, atque Ministrorum Ecclesiæ,
quorum \dagger munia nonnisi gradu differunt, cūm hi ad pascen-
das Oves, illi verò ad pascendos agnos * vocentur, adeoque
fraternas porrigere tibi deberent manus, utpote in vicinis**
laborantes navigiis; ibi verò, in Ludis privatis, unius sēpe
Fœmellæ arbitriō, Liberis præficiuntur moris aut oris blan-
ditie magis, quām piâ eruditione commendabiles Pædotribæ:
hīc Magistri non nisi ex voluntate divina Senatusque & Patro-
norum publicorum pendent, adeoque liberiores sunt in casti-
gandis vitiis, & commendandis virtutibus; ibi tota Pædev-
tarum felicitas à Parentum pendet benevolentia, adeoque
medii versantur inter spem & metum, inter querulas Matrum
lacrymas, & iras Patrum minus consideratas: hīc, nolint
velint, diligentiores esse debent Præceptores, quia censuram
verentur publicam; ibi sēpe perinde est fecisse nihil, & pompa
aliquā externā glaucoma ob jicere oculis Parentum, ut fucum
ali-

\ddagger Nunquam Ecclesia sine Scholis aliquibus fuit, ac ne potest quidem diu con-
servari doctrina, nisi Scholastici cœtus adjungantur ad Ecclesiæ. *Vid.*
Molinii LL. CC. Collectanea, p. 515.

$\dagger\ddagger$ Magna est cognatio inter officia Ecclesiastica & Scholastica. Quin & Scholar-
paræ sunt Ecclesiæ. *Vid. Baldwin. Cas. Consc. lib. IV. cap. 5. Cas. X. p. 1027.*

* Joh. XXI, 15. 16.

** Luc. V, 7.

aliquem Hypocriseos pro solida æstiment Pietate & Erudi-
tione, siquidem totius rei examen atque censura, nonnisi in-
ter privatos versatur parietes: hic Daduchi publici alacrio-
res sunt, & plus mentis ac spiritus concipere possunt, multis
congregatis, cum Auditor* excitet studium; ibi, singulis præ-
sentibus, quid animi, quid industriae superesse posse Docen-
tibus? Sint, inquam, Scholæ quædam privatæ melius consti-
tutæ istisque omnibus defectibus liberæ, nunquam tamen
perinde commodos ad Ecclesiam vel Rempublicam** lucra-
bimur Viros, quales porro nos dedimus Scholæ publicæ, nunc
etiam magna cum laude in Luce Ecclesiæ atque Reipublicæ
versantes, qui nos non possunt contemnere, nisi contemni
se exponant ipsos. Hi quippe quod in coetu etiamnum ho-
mines non reformident nec pallescant & trepident, id nemini
habent, cui acceptum referant, nisi honestis apud nos con-
gressibus, quibus à teneris adsueti sunt unguiculis. Quod
etiam ab his nullæ Turbae in negotiis civilibus, nulla schisma-
ta in Ecclesiasticis metuenda fint, unde hoc, nisi ex Con-
versatione Scholastica, quæ socios pares ferre, Præceptoribus
morem gerere, pacique & æquanimiter dare operam didicere
in nostris Modelloœ atque Concordiæ Officinis. Quid jam
dicam de æstiori apud nos cum aliis contracta Amicitia,***

A 3

quæ

* Ovid. lib. IV. de Ponto, Eleg. 2.

** Schola sunt Seminaria Ecclesiæ & Reipublicæ. Sicut autem Hortus, optimè
licet cultus, & feracissimi arboribus uberrime confitus, ætatem ac peren-
nitatem obtinere nequit, nisi in seminariis, quæ ita vocantur, ac Plantariis,
tenellæ edacentur ac formentur Arbores, quæ in locum vetusstate marci-
darum ac emortuarum olim sacercedant: ita Status Ecclesiasticus & Poli-
ticus diu salvis & incolmis conservari nequit, nisi in Scholis formentur
& edacentur, qui aliis, tum Ecclesiæ Ministris, tum Viris Politicis morte
abreptis surrogentur. Vd. Christiani Matthiae Theatr. Histor. p. 77. seq.

*** Vix illæ sunt duliores Amicitie, quæ Scholastica, societate studiorum con-
tractæ: que etiam postea allata ad Rempublicam, nonnihil momenti in multis

gra-

quæ s̄æpe ipsam vicit necessitudinem, & ad Senectutem usque firmissimè duravit. Plena de hac sunt veterum Historiorum monumenta. Nullibi quippe melius quam in Scholis frequentioribus animorum sese Numinia vident & agnoscunt: nullibi melius morum & studiorum similitudo in adamantina coalescit vincula, nec certè sanctius* esse potest, sacris iisdem, quam studiis initiari. Contrà videoas mihi vel Avtodidaetos, vel, qui privatis in Scholis instituti sunt, Singulares! nonne, dum in vitam succreverint virilem, locis secretis, solitariis atque umbraticis assueti, Conversationem hominum cane pejus & angue fugient? nonne in opaco situm adeò contrahent, ut, si prodeundum sit in publicum, Solem & Lucem, instar Vespertilionum, ferre non possint? nonne, si confidentiores etiam sint, dum nemini se comparare didicere, sibi nimium tribuent, indeque inani persuasione adeò tumescent, ut alios etiam longè meliores altò contemnant superciliō: immo, quod majus est, res moliri novas in rebus sacris atque civilibus sustineant, aureis scilicet catenulis cœlō demissi Reformatores. Nonne, dum in Juventute firmioris Amicitiae atque Concordiae cum aliis nulla jecere in Scholis publicis fundamenta, in senectute quoque nonnisi discordiarum atque dissencionum solent esse Promachi? Et quis omnem vitiorum, quæ ex hac privatæ ac singularis Institutionis lerna scaturiant, proventum enarret? Nos certè Scholæ Publicæ & frequentiores, Magistri omnium optimi CHRISTI, sequimur exemplum, qui plures ** etiam docere publicē † maluit, quam pau-

gravissimis negotiis adferunt. Vid. Gregorii Richteri Axiomat. Oeconom. n. CLVIII. p. m. 324. seq.

* Quintil. Oratoriū Institutionum lib. I. c. 2. p. m. 21.

** Inter plures non libentius solum, sed plus etiam discunt pueri. Liv. I. 1. Centur. ad Belg. ep. 38. p. 492.

† Christus & Apostoli, cū essent à locis in docendo liberi, tamen in locis publicis docuerunt serè semper. Vid. D. Sebastiani Schmidt, die rechte Kinderzucht pag. 347. Conf. Job. XVIII, 20.

paucos in angulis privatis. Hinc luculentus satis Ipsius, cum
Apostolorum, tum Discipulorum numerus. Huic instituto
certè proprius quoque accedunt, qui Institutiones urgent &
promovent publicas magis, quam privatas. Hic quippe il-
lud ex ore CHRISTI commodius repeti potest: *Quod vo-
bis dico, omnibus dico.* † Dum enim alii in Moribus atque Do-
ctrina informantur, id reliqui omnes sibi applicare, suumque
in usum sine monitis ulterioribus convertere possunt. Nec
vox Praeceptoris, ut †† *Carna, minus pluribus sufficit, sed, ut Sol,*
universis idem Lucis Calorisque largitur. Accedit ipsa honesta,
non dicam *æmulatio, sed imitatio, quâ felicius, velut sibi pro-
piora, Condiscipulorum meliorum, quam Praeceptoris, ex-
primere conantur exempla. Quâ sensim, non aliter atque
*Vites Arboribus applicata,** humiliores prius atque propiores ar-
ripiendo ramulos in cacumina attolluntur altissima.* Quid?
quod, si quis laudes, si qua vituperia, si quis poenas, si qua præ-
mia distribuere in cœtibus contingat publicis, ista omnia effi-
cacia ad movendum Juventutis animum sint, quam si pri-
vatim sine aliquo fiant documento. Quis ergo, vel hanc ob
causam, publicam nostram Institutionem non præferat pri-
vatæ, ut ut optimæ? Illam certè huic prætulere omnes naris
emuntioris, mentis sanioris & moris emendationis Gentes,
Persæ, Spartani, Athenienses, Romani, &c., qui DEI erant
Populus, Judæi: immo, qui omnibus aliis, tot institutis Gy-
mnasiis atque Academiis, herbam præripere possent, Majores
nostrí Germani. A quorum moribus & institutis cur pia re-
cedere vellet Posteritas, Studiaque præcipua intra privatæ
institutionis compingere carceres, causam video nullam. Nec
enim sufficiunt Dicæ, quæ nobis, Scholis publicis hodiernis,
ab

† Marc. XIII, 37.

†† Quintil. I. c. pag. 20.

* Firmiores in literis profectus alit. emulatio. Id. ibid. p. 21.

** Id. ibid. p. 22.

ab iniquioribus Censoribus scribuntur, ad nos tantopere de-
solandas. Utpote quæ omnes facile, interveniente Magistra-
tūs auctoritate publicā, elimari possent. Si enim dicant, plus
eruditioñis Ethnicæ, quam Christianæ ex subselliis nostris ab
ipsa Juventute reportari, quam facile, voluntate accedente
Patronorum, publicæque institutionis Inspectorum, Ethni-
corum loco Poëtarum, Historicorū atque Oratorum, cùm
nonnisi venenum spirare dicantur, substitui possunt Historicī
& Poëtæ Christiani, qui ad puritatem, elegantiam & compo-
sitionem Veterum proxime accedunt, & nonnunquam eos-
dem superant: quam facile, pro Ethica † Aristotelis, Theolo-
gia substitui posset moralis. Id quod ipsi Præceptores, quibus
curæ cordique est pia Eruditio, & erudita Pietas, nunquam
non exoptant, licet sœpe, ex aliorum prescriptis, alia tracta-
re, vitæ pauperioris tantisper tolerandæ causâ, cogantur.
Qui ipsi etiam, procul omni dubiō, libentius & majori suo-
met commodo, sacra explicarent, Paulum, quam Plautum;
Johannem, quam Juvenalem; Petrum, quam Petronium;
denique Prophetarum & Apostolorum scripta, quam prophana-
rias aliquas Mythologias & Antiquitates. Si etiam *Comœdiæ
atque Dramata apud nos perniciosa videntur & intolerabilia,
idque præter alias causas vel inde, quod Hypocriseos, simu-
lationis atque dissimulationis in animis hominum soleant esse
progymnasmata, ad quam Theatricam in Scholis pompam
nonnisi fuçatæ illius & exterioris Eruditioñis, apud homines
talium rerum cupidos, processit ostentatio, ita ut meliorum
etiam Magistrorum sinceriiores mentes hic genius moderni
Seculi, velut torrente quodam abripuerit. Si ista, inquam,
Theatrica morum & eloquentiæ institutio culpæ aliquid ha-
bet, nonne apud nos jam in Actus Oratorios vel Declamatio-
nes

† Vid. D. Spener. *Theolog. Gedanken* / Tom. III. Art. I. Distinct. II.
Sect. I. p. 151.

* Vid. D. Spener. l.c. Tom. IV. Art. II. Sect. XLI. p. 325.

nes publicas conversa est ? vel, si istæ etiam adhuc aliquid Comici & Dramatici habent, id quoque, si fideliter moniti fuerint Exercitationum ejusmodi autores , emendari atque emundari posset ? Si deinde non satis prudenter hucusque institutæ fuere castigationes * publicæ , nonne hæ quoque in posterum , ex concordi Præceptorum consensu , ita institui possent , ut precedat debita admonitio legitimaque conscientiæ castigati convictio , ut ultrò magis atque volens sceleris penitus agniti poenas det , Condiscipulisque suis præsentissimo sit documento . Nonne , si res necdum ita processerit , etiam apud nos Preces addi possunt , Numinisque cœlestis , pro emendatione delinquentis , Invocatio ? Nonne apud nos quoque , ad averruncandam omnem à Præceptoribus invidiā & infamiam , ipsa per Condiscipulos peragi posset castigatio ? Quæ res , non potest dici , quantum afferat cum in castigantibus , tum in castigato , vitiorum odium , & Præceptoris amorem . Si porro à Scholaribus hucusque non dignè satis celebratus fuit dies Dominicus , ita ut surdis Conciones audiverint auribus , reliquumque sanctissimi diei , vel lusui , vel aliis cupiditatibus juvenilibus , vel certè studiis prophanis destinaverint , nonne hac quoque in parte , auxiliō etiam Patrum in Ecclesia spiritualium , ad frugem reduci posset Juventus , ita , ut rationem reddere cogatur suis Moderatoribus impensi Temporis sancti , auditæ decenter vel scriptæ Concionis , institutæ piæ alicujus , ex Scriptura Sacra , vel aliis libris Asceticis , lectionis , colloquii atque conversationis ? Ut silentio involvam notas alias , quæ à sacris Aristarchis nobis asperguntur , facileque spongia publicâ deleri possent , adeoq; nitidior & pulchrior redi nostra Scholarum publicarum fa-

B cies.

* Vid. D. Spener. l. c. Tom. IV. Art. II. Sect. XLII. p. 325. Conf. Augusti Hermanni Granfen/ S. Theol. Profess. Ord. & Pastoris Halæ Magdeb. Ordnung und Lehr-Art/ im Pædagogio zu Glaucha an Halle/ §. 41.
p. 20.

cies. Si denique periculum imminere Puerο dicatur, ætate teneriore ad vitia maximè pronā, ne in majori æqualium turba labem aliquam morum contrahat; mores profecto non minus domi, quam apud nos, corrumpi possunt, & testantibus præstantissimis Institutionis puerilis Magistris, plures certe Pueri vitia sua in* Scholas attulere, quam e Scholis accepere. Cæterū aut bonæ frugis sunt, quibus accedunt Condiscipuli, aut pejoris commatis, ab illis certe plus commodi, quam periculi, sperandum. Ab his quoque nihil metuendum perversi, cum pœna apud nos imineat petulantiae & improbitati certissima, idque tanto liberiori Disciplinā, quam inter homines privatos, quanto liberi publici remotiores sunt ab illiberalitate, indulgentia & licentia Parentum, qui Præceptores privatos suos nonnunquam, ob duriora verba, vel asperiorem vultum, ad Garamantas ablegare solent. Unum est, quod ultrò fatemur, si nimius sit apud nos Discentium numerus, (qui tamen nimis exiguus nunc est,) non semper Præceptores publicos ingenti sufficere multitudini, cum, pro more seculi, crescente Discentium numerō, non tamen plures vocentur Collegæ, atque hinc facile fieri posse, ut Præceptoribus, propter cumulatissimas lectiones tantum temporis non suppetat, ut in pietatem & mores Discentium sufficienter attendere, aut copiam sui in conversatione singularis Discipulis facere, adeoque uniuscujusque indolem animique propensionem recognoscere, eidemque succurrere, possint. Nec enim inficias ire possumus, vera esse Senecæ ad Lucilium verba: *Plus tibi viva vox & convictus, quam Oratio, proderit. In rem præsentem venias oportet. Primum quia homines amplius oculis, quam auribus, credunt: deinde quia longum iter est per Præcepta, breve & efficax per exempla.*

Zeno-

* Non accipiunt ista mala in Scholis Pueri, sed in Scholas afferunt. Quantil.

l. 1. c. 2.

† Epist. VI. p. m. 530.

Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantum audisset. Vitz
ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex for-
mula sua viveret. Plato, & Aristoteles, & omnis in diversum
itura Sapientium turba, plus ex moribus, quam ex verbis Socrati-
tis traxit. Metrodorum, & Hermachum, & Polyanum, magnos
Viros, non Schola Epicuri, sed contubernium fecit. Et quod
idem alibi habet: * Nulla res magis animos honestate induit,
dubiosque & in pravum inclinantes, revocat ad rectum, quam
bonorum Virorum Conversatio. Paulatim enim descendit in
pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aspici
frequenter. Hæc Seneca, ut taceamus jam alios Philosophos,
qui Senecæ suum addunt calculum, maximumque statuunt
Conversationis in Educatione ætatis pubescentis momentum.
Hanc igitur arctiore & intimiore, cum singulis Discipu-
lis, Præceptoribus publicis esse impossibilem, nisi ut velint
ipsorum etiam Institutione privatâ atque Contuberniô, non
negamus. Siquidem, etiam si unus & alter Præceptorum
vel saltē plerosque Discipulorum suorum attrahere ad Con-
victum atque intimorem secum Conversationem vellet, iis-
demque etiam exemplō vitæ & disciplinæ domesticæ prælu-
cere, vix tamen inveniret pronam Parentum plerorumque
voluntatem, tempus, locum, & sumptus ad alelodos saltē
plerosque sufficienes, nulla denique ab aliis consilia auxilia-
que. Atque hinc est, quod optimi etiam Præceptores publici
non possint animadvertere (quod bene notavit celeberrimus
& post fata SECKENDORFIUS,)† nisi in notoria & ad se
delata Discipulorum scelera, ut sunt Pugnæ & Digladiatio-
nes, impuræ libidines, & aliæ hujusmodi improbitates; bonâ
vero institutione & manuductione, inde a teneris unguiculis,
usquedum boni mores in animis Discipulorum radices agere

* Epist. XCIV. p. m. 777. sq.

† Christen-Staat III. IX. 4. p. 596.

atque subinde propullulare incipient, parùm certè præstare possunt. Quamvis, quicquid hoc in Præceptoribus non sit, compensari abunde Conversatione cum melioris notæ Com militonibus, eorumque (de qua superiùs diximus) Imitatione, possit. Hæc tamen unica causa est, quod nos, SCHOLÆ Publicæ, non adeò infensæ atque injuriæ simus Scholis* privatis, ceu ipsæ nobis infensæ atque injuriæ sunt, ut ipsis sororias porrigerere manus detrectemus, modo suas quoque nobis porrexerint manus auxiliatrices, magisque cogitaverint de Egregio per utramque Institutionem, cùm publicam, tum privatam, communī promovendo, quā de Clasib⁹ nostris desolandis, Præceptoribusque profituendis & sustentatione privandis. Quodsi noluerint, VOS, **Præsides nostros atque *** Patronos, VOS, Evergetas atque Mæcenates Studiorum, Vestramque imploramus openi, ut nos Honori nostro asseratis pristino, ut vindicetis nos ab imminentि Ruinâ, & siquid hucusque desideratum in nobis fuit, Authoritate Vestrâ restituatis, adeoque nos inter Scholasque privatas vel meliorem excitetis Harmoniam, easdem, quod justum æquumq; est, nobis subordinando, vel certe si ulterius nos postponere atque desolare sustinuerint, ipsorum conatus tantisper

* Vid. D. Speneri *Theol. Bedencken* / Tom. IV. Sect. XV. p. 388. seqq.

** Si Respublica, si Ecclesia & Regnum DEI, ejusque gloria nobis cordi est, si vita honesta, pia, justa, grata, si cognitio DEI ejusque voluntatis, si rerum creatarum scientia, si temperantia, fortitudo, justitia, totusque chorus Virtutum, si Artes omnes & singulæ, utiles ac necessariae; si denique benedictionem divinam & successum in rebus & actionib⁹ nostris desideramus; imò si regnum DEI ejusque gloriam & cognitionem quærimus, SCHOLAS, SCHOLAS, inquam, harum omnium officinam & portum, quā CHRISTUS ad nos ingreditur, aperiamus & NB. conservemus, & hæc omnia consequemur. Vid. Job. Althusius *Politica*, p. 1002.

seq.

*** Vid. D. Spener. *Theol. Bedencken* / Tom. II. Sect. IX. p. 204. seqq.

tisper inhibeatis, usquedum se nobis, Vestro subjectis Patro-
cinio, Vestræque Inspectioni, submiserint. Prævenietis hōc
modō multis incommodis, Reipublicæ alias Vestræ, ex dissi-
diis animorum, à dissidiis Scholarum pendentibus, certissimè
eventuris. Licet enim nondum experiamini, distractam
adeò tenerioris ætatis institutionem Bono Publico aliquid no-
cere, experiemini tamen aliquando, nocuisse.

Ut autem Documentô manifestô comprobemus, quod de
Commodis ex publica Institutione provenientibus diximus,
quām scilicet nostri Discipuli haud vereantur prodire in apri-
cum, seque omnibus Bonorum proponere judiciis, complu-
res Discipulorum GYMNASII COLONIENSIS, Deō
favente, Die crastini, Horis à media octava matutina usque
ad meridiem, in Primæ Classis Auditorio, sistentur, extan-
tiora Seculi hujus Vitia, præsertim quæ conspiciuntur in Ho-
minibus avaris, blasphemis, callidis, calumniosis, crudelibus,
discordibus, dolosis, ebriosis, fallacibus, furacibus, furiosis,
gulosis, hostilibus, hypocritis, impuris, inconstantibus, in-
duratis, inflatis, insatiabilibus, insidiatoribus, invidis, iracun-
dis, lascivis, mendacibus, meticulosis, noxiis, pigris, rapaci-
bus, rixosis, falacibus, sanguinolentis, simulatoribus, somni-
culosis, superbis, tardis, venenosis, voluptuosis, voracibus,
hujusque farinæ aliis, ACTU COMPARATORIO, sub
Schemate * Brutorum quorundam animantium, diversis

* Suppeditârunt σύγχρονο & luculentiora Comparationis capita, Samuel Bo-
chartus in suo Hierozoico, Aldrovandus, Gesnerus, Bartholomæus Angli-
cus, in Libro (plurius curiosis admodum referto, ceu hoc elogii eidem
præbet Johannes Jacobus Hofmannus, in suo Lexico Universali, in voce
Bartholomæus;) de Proprietatibus rerum, in primis verò in Lib. XVIII.
De Animalibus, eorumque Proprietatibus; Wolfgangus Franzius, &
Joh. Henricus Majus; in Historia Animalium; M. Daniel Fesselius, in
Regno Diaboli Mytico; Joh. Sperlingius in Zoologia Phytica; Ælia-
nus, in Libris XIV. variarum Historiarum, &c. &c.

Orationibus Latino-Germanicis, & solutō & ligatō stylō, producturi, piaque Parænesi omnes ac singulos ab iisdem dehortaturi. Cumque in eundem hunc diem, quintum videlebet Mensis Martii, ONOMASTERIA Serenissimi ac Potentissimi Borussiæ Regis, FRIDERICI, Patris Patriæ Optimi, Vindicisque Vitiorum justissimi, felicibus incident auspiciis, interserentur lètissimæ aliquot Congratulations, & Vota, pro perenni totius Regiæ Domiæ Prosperitate, uti humillima, ita devotissima. Adjungentur quoque Trium bonæ spei Juvenum Academiam petiturorum Valedictiones. Vos itaque, VIRI Strenui, Nobilissimi, Amplissimi, plurimùm Reverendi, Excellentissimi, Consultissimi, Clarissimi, Præstantissimi, Humanissimi, Doctissimi, Domini Patroni, Fautores, Evergetæ & Amici, observantissimè studiosissimeque colendi, si vacat, hunc invisere ACTUM, pro Vestro, quô in Literas pariter ac Literatos ferimini Amore, ne dedignemini. Stabit hujus etiam Benevolentia, quemadmodum plurimorum aliorum εὐεγγένεων, penes GYMNASII hujus Docentes ac Discentes, altâ gratissimaque mente reposita recordatio. Id quod sancte promittit, interpres illorum omnium, Actusque habendi ὥρας.

Coloniæ, Dominicā Reminiscere,
An. M DCCVIII.

Tⁱ
CHRISANUS ROTARIDIS,
Gymnasi Coloniensis Rector.

PERSONÆ dicturæ.

Johannes Heinricus Albinus, Sonnenburgensis Marchicus, fungetur
munere PROLOGI, brevem dicendorum oratione et pia
exhibiturus, benevolentiamque Auditorii conciliaturus.

Hunc excipiet,

Impium comparaturus cum

- (I.) *Accipitre*, Matthias Engelcke / Bütoviens. Pomer.
 & Daniel Narb / Friderico-Werderanus.
- (II.) *Ardea*, Carolus Sigismundus Seyfert / Colon. March.
 & Johanna Georgius Flachbart / Zehdenicens. M.
- (III.) *Bufone*, Johannes Schenck / Navenens. Meso-March.
 & Paulus Schinemann / Gardeleg. Palæo-M.
- (IV.) *Canero*, Johannes Lucas Thering / Colon. March.
 & Christophorus Baganz / Mittenwaldens. M.
- (V.) *Cane*, Fridericus Fabricius, Micro-Bernaviens. M.
 & Johannes Christophorus Müller / Megapurs. Hassus.
- (VI.) *Cochlea*, Wilhelmus Christianus Gerresheim / Francof. M.
 & (a) Nicolaus Fridericus Lohmann / Colon. M.
 (g) Christianus Ludovicus Rheinstein / Col. M.
- (VII.) *Corvo*, Fridericus Christophorus Hübner / Nidergör. Palæo-M.
 & Heinricus Balthasar Lobeck / Friderico-Politanus.
- (VIII.) *Cygno*, Carolus Fridericus Veefius, Hallenis Saxo.
 & Franciscus Sigismundus Pape / Colon. M.
- (IX.) *Ecbino s. Erinaceo*, Johannes Höpner / Col. M.
 & Johannes Justinus Fuchs / Col. M.
- (X.) *Hirco*, Godofredus Mößeler / Gryphisberg. Pom.
 & Johannes Fridericus Massau / Stargard. Pom.
- (XI.) *Lepore*, Johannes Christianus Pascha / Saarmund. M.
 & duo Dia- { (N) Carolus Fridericus Röntreich / Colon. M.
 logistæ: { (D) Gottfried Seuff / Friderico-Werderanus.
- (XII.) *Lupo*, Johannes Christophorus Piperus, Spandov. Mef. M.
 & tres { (A) Johannes Casparus Käteritz / Col. M.
 Dialo- { (B) Johannes Christianus Francke / Col. M.
 gistæ: { (C) Jacobus Mierke / Golnoviens. Pom.
- (XIII.) *Mustela*, Philippus Christophorus Lonicerus, Berolin.

& Joachimus Fridericus Schwoff / Colrepo-Prizwalcensis Marchicus.

Qui ipse, donatus stipendiō, quod b. m. Dn. RAIMUNDUS FALTZIUS, Augustissimū
Præfectorum Regis, FRIDERICI, Numismatum Cœlator Artifex quoⁿ incomparabilis, legavit,
propediem Gymnasio nostro valedicet, Academiam Jenensem adiuritus; nunc verò Sere-
nissimo ac Potentissimo PATRIÆ PATRI, FRIDÉRICO, Nominalē suum hodie feli-
citer

citer celebranti, totius Gymnasii nomine Carmine Germanicō gratulabitur, fataque prosperrima comprecabitur.

(XIV.) *Niso*, Johannes Georgius Scholle / Col. M. Qui idem *Onomastérii Regis Oratione* Hebræa congratulabitur, eodemque Idiomate, Beneficii FALTZIANI particeps, Gymnasio nostro ultimum Vale dicet, in Academiam Halemsem abiturus.

Hunc excipiet, Comparationem Impii cum Niso Germanicè prolaturus, *Johannes Bauer / Primislav. Ucaro - M.*

(XV.) *Noctua*, Martinus Willam, Palæo-Brandenb. M. Qui, Legarō FALTZIANO suspirans, Academica Studia Jenæ aggressurus, Gymnasio nostro simul valedicet. Huic subiiciet peculiarem Impii cum Noctua *orviciaw, Ernestus Wendelinus Weiler Berolinensis.*

(XVI.) *Ove*, Christianus Appret / Primislav. Ucaro-March. CHORI Praefectus, qui, compos etiam Stipendii FALTZIANI, Academicorum Studiorum gratiâ Je-nam periturus, Gymnasio nostro pariter valedicet.

Hujus vestigia, in edifferenda Collatione Impii cum Ove, premet, *Samuel Schmidt/ Zilenf. March.*

* * * * *

Succedent quatuor Dialogistæ, REGI de Onomasatis Festo prosperrimè illucecente, puerilibus quidem Acclamationibus, devotione tamen piâ refertis congratulantes:

(I.) Georgius Wilhelmus Harras / Col. M.

(II.) Christianus Adolphus Rorarius, Col. M.

(III.) Franciscus Jacobus Butten / Col. M.

(IV.) Franciscus Wilhelmus Pfuel / Crof. Sil.

* * * * *

(XVII.) *Pardo*, Daniel Rückenius, Rago-Meso-Sylvanus ;
& Adamus Christianus Ellinger / Spandov. M.

(XVIII.) *Porco*, Christophorus Wilhelmus Heidenreich / Spandov. M.
& duo Dia- { (N) Christianus Fridericus Krüger / Berolin. M.
logistæ : { (D) Georgius Fridericus Gerlach / Colon. M.

(XIX.) *Rana*, Daniel Rippensaple / Perleberg. March.
& Godofredus Ludovicus Grosch / Col. M.

(XX.) *Salamandra*, Johannes Fridericus Cubeus, Goslov. Regiomont. March.
& duo Col- { (N) Simon Benedictus Siegfried / Burg. Saxo.
locutores. { (D) Johannes Henning / Machnov. March.


(XXI.) *Scorpio*, Georgius Grundel / Neofoliens. Hung.
& Elias David Curtius, Gryph. Pom.

(XXII.) *Vipera*, Fridericus Karb / Neofoliens. Hung.
& { (A) Zacharias Matthias Löffler / Opherdicâ Westph.
{ (B) Martinus Schilling / Rohrbergâ Soltqellenf. March.

* * * * *

EPILOGUS, Elias Heinricus Steinchen / Gabenâ Lusatia, Auditoribus ager gratias,
Actuique finem imponet.

B603




Aug VI 52



SB

V017





24 u.
h. III. 4626

J U S T Æ
P U B L I C A R U M
S C H O L A R U M
Q U E R E L Æ
I N
S C H O L A S P R I V A T A S
E F F U S Æ.

Coloniae Brandenburgicae,
Imprimebat ULRICUS LIEBPERTUS, Reg. Typogr.

